







00

Q. D. B. V.

DISPV TATIO IVRIDICA

DE

IVRIBVS ET OBLIGATIONIBVS
PRAEFECTORVM SAXONICORVM
IN ECCLESIASTICIS

QVAM

PRAESIDE

CHRISTIANO GOTTLIEB
HOMMELIO D.

TIT. DE VERBOR. SIGNIF. ET REGVL. IVR. PROF. PVBL.
ET FACVLT. IVRID. ASSESSORE

IN AVDITORIO MAIORI

D. V. AVGVSTI A. R. S. cId Id cc LXVIII.

PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI EXPONET

CAROLVS FRIDERIC. BENIAMIN PIETSCHIVS

VITEMB. SAXO.
UNIV-BIBL.
BERLIN.

VITEMBERGAE

EX OFFICINA GERDESIANA.

T 1920. 25.



Q. R. V.

DISPUTATIO IURIDICA

DE

IVRIBVS ET OBLIGATIONIBVS
PRAEFECTORVM SAXONICORVM
IN ECCLESIASTICIS

CVAM

PRAESIDE

CHRISTIANO GOTTLIEB
HOMMELIO D.

IN PRAESENTIA SACRAE FACULTATIS
IURIDICAE UNIVERSITATIS HALLEN-
SIS

IN PRAESIDIUM

D. N. AVGVSTI A. S. S. S. S. S.



13 A 1299

V. TEMMERER

ET ORIGINALE DEPOSITUM





Cum competentia Consistoriorum euangelicorum, nec ex forma iuris diuini, ^{a)} nec episcopalis pontificii, nec vnice ex Iure Canonico, ^{b)} sed maxime a summi imperantis arbitrio, qui iura circa sacra, vigore superioritatis territorialis, exercet, dependeat, et ex legibus cuiusuis prouinciae, imo interdum ex obseruantia ^{c)} determinari oporteat, non miramur, si Legislatoribus negotia alias ecclesiastica iudici seculari et foro communi interdum vel in totum, ^{d)} vel saltem ex parte committere placuit. Quamquam enim Protestantes tempore Reformationis pro necessitate Consistoriorum in *formula reformationis* a Theologis Vitembergensibus anno 1545. iussu Electoris Saxoniae conscripta, ^{e)} eiusdemque membro quarto *de iudiciis ecclesiasticis* acriter pugnaverint, ideoque Dux Saxoniae MAVRITIVS consistoria adornandi, negotium Theologis pariter ac ICtis Lipsiensibus commiserit; vt eius rescriptum apud SECKEN-



DORFIVM in *Historia Lutheran. f*) satis comprobat, et postea AVGVSTVS Elector in *Ordinatione Eccles. Tit. de Consist. Tit. VII.* sub Rubr. Was vor Sachen in das Consistorium gehdrig accuratissimum inter causas ecclesiasticas et seculares suppeditare discrimen, omnemque earum confusionem euitare voluerit, non tamen est, vt iudicium seculare in ecclesiasticis penitus esse exclusum existimemus, multa potius illi in his adhuc esse referuata, tunc intelligemus, si ea, quae praefectis Saxonis, qui non minus iura principis nomine, ac Consistoria exponunt, circa personas, res et causas ecclesiasticas competunt, aut non, paulo accuratius pro instituti et temporis tamen ratione ponderamus. Exoptatissimam huius rei materiam mihi suppeditauit EXCEL. PRAESES, eiusque consilium Praefectorum iura et obligationis specificè explicandi, duabus Disputationibus iam coeptum, cum vtilitate mirifice se commendet, eo lubentius persequor, quo certius est, omnia ea, quae hac in re ab aliis forte sunt dicta, vel non satis accurate, vel saltem sparsim esse peracta.

- a) Dissentiant SCHILTER in *Inst. Jur. Can. Lib. I. Tit. V. §. 6.* et MENCK in *Pand. Lib. V. Tit. I. §. 46.* Quae opinio vero solide confutata a TITIO in *der Probe des deutsch. geistl. R. Lib. I. cap. VI. §. 10. seq. ad PFAFFII Inst. I. Eccles. Lib. V. c. III. §. 3.*
- b) contrarium statuit BOEHMER *Iure Eccl. Prot. Lib. II. Tit. II. §. 23.*
- c) cf. WILDBOGEL in *Disp. de Competentia Consistoriorum Evangel. Inf. Sax. th. IX. add. TITIVS in iure Privat. Lib. IX. cap. III. §. 5.*
- d) Sic Norimbergae, Hamburgi aliisque locis Consistoria peculiariter deficiunt, et causae ecclesiasticae ad Senatum urbis deferuntur. Ludovici *Einl. zum Consistorial-Proc. c. II. §. 3.* STRYCK ad BRUNNEM. *Ius Eccl. Lib. III. c. I. §. 2.* BOEHMER. *I. Eccl. Prot. L. I. Tit. XXVIII. §. 17.* Quibus adde MEVIUM P. III. *Decif. 415.* Nec minus in Saxonia a Consistoriis ad Regimen Aulicum appellatur *ORD. ECCLES. Tit. vom Ober-Consist. §. es soll aber doch, etc. C. A. T. I. p. 639. add. RESCRIPT. dd. 13. May 1661. C. A. T. I. p. 1006. et dd. 11. Nov. 1701. et dd. 20. Mart. 1702. C. A. T. I. p. 1007.*

e) Quam



e) Quam exhibet SECKENDORF in Histor. Luther. Lib. III. §. 119. n. 4. seqq.
BOEHMER I. Eccl. Prot. l. c. §. 12.

f) Lib. III. §. 110. addit. lit. b.

§. II.

Praefectorum iurisdictionem ordinariam ad negotia ecclesiastica in Saxonia se non extendere, sed illos in his, vt mere priuatos censerī, strenue asserit BERGER-^{a)} Quae opinio, vtut finī nostro, potestatem quaestoris, quantum fieri potest, expandendi, admodum aduersa videtur, variis tamen sanctionibus insigne accepit robur. Omnis enim cognitio aut inquisitio contra clericos absque expressa voluntate Consistorii peracta serio praefecto est inderdicta, ita, vt ei ne quidem integrum sit, contra hos examen testium instituere, sed partes id efflagitantes, ab eo ad Superintendentem vel Consistorium remittantur.^{b)} Nec minus immediata citatio a Consistoriis ad Praefecti subiectos emissa, documentum huius rei suppeditat omni exceptione maius. Quanquam enim RESOLUTIONES GRAVAMINVM de ao. 1661. Tit. von Consistorial-Sachen §. XI. id introducant temperamentum, vt non aliae quam mediatae a Consistoriis, suppressa tamen clausula: *in subsidium iuris*, emittantur citationes, eam tamen dispositionem ad praefectos, qui administratoria tantum gaudent iurisdictione, non spectare, rationi satis est consentaneum. Quem admodum enim dicta RESOLUTIONVM GRAVAMINVM a regulis iuris communis recedunt,^{c)} et hinc ad consequentias trahenda non sunt, atque iudicum requisitio sine circuitu et multiplicatione sportularum fieri nequit, nec non verba RESOLVT. laudatarum: *denen von der Ritterschaft und Städten vnice de iudicibus patrimonialem iurisdictionem exercentibus accipienda esse*, iam euincunt,^{d)} ita litem circa modum citandi inter Consistorium Vitembergense et Praefectum



eius loci quondam agitaram **RESCRIPTO** d. IX. Febr. 1703. decidit **SENATUS ECCLESIASTICVS** his: Wie nun dem Consistorio nicht unbillig frey stehet in denen vor sie gehörigen Sachen die Amts-Unterthanen immediate vor sich zu citiren, und was du, der Krays-Amtmann, darwider aus der Erörterung derer Landes-Gebrechen auführen wollen, auf die von Adel und Städte gehet. Als ist Unser Begehren, du wollest denen Partheyen, so das Consistorium vor sich geladen, die Gestellung nicht inhibiren, noch sonst dieselben hindern.^{e)}

a) in Elect. Proc. Matrim. thes. XII.

b) cf. **RESCRIPT.** dd. 10. Januar 1743. quod citatur in **Schaumburgs Einleit.** zum **Sächsl. R. P. II. Exercit. III. §. 33. sub. ***.

c) **HORN** Class. I. Resp. 9.

d) Vsu fori id privilegium indicibus patrimonialem iurisdictionem exercentibus in **RESOL. GRAY.** datum adhuc magis restringi, dum de prima citatione non subsequenter requisitionem iniunctam accipiat, docet **GRIEBNER** in **Princip. Proc. Iudic. Lib. II. c. III. §. 2. lit. a.)**

e) **HORN** ad **SCHILTERI** Inst. Iuris Can. L. I. Tit. V. §. 16. **BERGERI** El. Proc. Matrim. th. XIV. **WERNHERI** Sel. obs. For. Part. VI. Obs. 45t.

§. III.

Quamvis vero ita ab ecclesiasticis quaestores videantur exclusi, multae tamen obveniunt species, in quibus, eos, absque vlla delegatione Consistorii, mox notione, mox iurisdictione gaudere, confiteri cogimur. Sic cum nil magis detestandum, ac lites inter clericos et parochianos fouere, siquidem animarum curam admodum impediunt, eiusdemque fructus speratos intercipiunt, ideoque eas omnibus modis recidi, et quam fieri potest, amabili compositione finiri expediat, saluberrime **ORDINATIO ECCLES. SAX. Tit. von Immunitatibus und Freyheiten der Kirchen- und Schul-Diener §. und anfänglich praefectis pariter ac Superintendentibus id negotium dat, vt, si subiecti praefecturarum cum clericis**

clericis litigare intendant, coniunctis viribus arbitratorum partes sustineant, amicamque compositionem inter eos tentent, ^{a)} quae si vero effectum haud sortiatur, illis quidem ulterius progredi non liceat, causam tamen, relatione rerum haecenus gestarum facta, ad Consistorium deferant, in quo, si partes iterum omnem transactionem renuant, tunc demum ad processum iuris summarium dimittantur. Eademque concordia et audientia his est commendata circa ea, quae ex fructuum et reddituum parochialium perceptione et diuisione inter nouum pastorem et antecessoris defuncti viduam et liberos superstites nasci possent, litigia ^{b)} Nec minus illis sine speciali Consistorii delegatione incumbit, vt curam singularem viduarum et orphanorum clericorum habeant, eos fultiant et iusto patrocinio, tum consilio, tum auxilio, tutoribus curatoribusque dandis, sub iurisdictione commorantes subleuent. ^{c)}

a) Idemque fere in ORDINAT. PROVINC. GOTHAEICA P. I. c. II. tit. 6. est dispositum add. LVDOVICI Einl. zum Consistorial-Proc. cap. XIX. §. 2.

b) ART. GENERAL. XLI.

c) ORD. ECCL. SAX. Tit. von Immunitat. und Freyh. der Kirchen-Diener §. und so sich. ZIEGLER in Superint. cap. XXV. §. 5. Quibus non obstat MANDAT. d. 12. Novembr. 1700. vi cuius Consistoria, non Superintendentes tutores curatoresue constituent. conf. BERGER. ad CARPZ. L. III. Def. 18. Diuersa enim sunt, prouidere, vt probi et satis idonei eligantur tutores, curatoresue, et hos vi iurisdictionis constituere. Accedit, vt maximam bonorum partem sub praefectura eiusmodi personae habere queant, vt ita quaestor in tutoribus dandis satis sit competens. Tandem nullum est dubium, quin praefecti viduabus et liberis clericorum, extra Saxoniam officio functorum, si in praefectura sedem fixam ponunt, tutores curatoresue soli constituent. Apud nos enim istas aduenas forum non apud Consistorium, sed ciuile iudicium, vbi morantur, fortiri, edocet RESCRIPTVM ad Consistorium Lips. d. 2. Decembr. 1740. datum, cuius verba exhibet ILLVSTR. KÜSTNER ad DEYLING Inst. Prud. Past. P. II. c. I. §. 28. lit. d.

§. IV.

Potestatem quaestoris in Ecclesiasticis et iurisdictione in clericos inclarescere, variis confirmatur modis. Quanquam enim hi voluntarie iurisdictionem in praefectum, omnemque iudicem secularem inuito Consistorio apud nos ex sententia WERNHERI ^{a)} prorogare nequeant, saepe tamen inuiti eius cognitionem, decisionem et executionem agnoscere tenentur. Ita, cum tam iure civili, ^{b)} quam canonico ^{c)} actor quoque priuilegiatus in causa non priuilegiata forum rei sequatur, clericorum causas et actiones reales ac personales in et extra concursum, si contra praefecturarum subditos experiuntur, diiudicat. Eiusdem iurisdictioni saepe subest clericus in remediis prouocatoriis ex L. diffamari, et ex L. si contendat, interuentione, reconuentione, litis denunciatione, si ut heres subiecti praefecturae litem continuat, ^{d)} et actione reali ^{e)} vel in rem scripta ^{f)} coram praefecto, ut iudice rei sitae conuenitur. Idemque de possessorio summariissimo, quod contra clericum turbantem in foro rei sitae, cum possessio respiciat fundum, peragi possit, asserit CELEB. KÜSTNER. ad DEYLINGIUM. ^{g)} Nec minus in defraudationibus reddituum ad Cameram Sax. spectantium, et in delictis contra ordinationem Accisae et Steurarum cereuisiarum a clericis commissis, iurisdictionem Consistoriorum exulare, copiose LL. Saxonicae ^{h)} edocent. Ceterum his casibus citationem non aliter, quam praeuia requisitione iudicis ecclesiastici fieri, certo constat. ⁱ⁾ Praefectos quoque saepe sententiam criminalem contra clericos remotos latam ad executionem perduxisse, quam plurimis corroborari potest exemplis, ^{k)} licet his, clericos remotos foro ecclesiastico in aliis quoad personam adhuc gaudere, non adstruamus. ^{l)} Consistoria tandem ipsa praefectorum potestate publica uti, dum causarum ad finem perductarum
execu-

executionem iis committant, experientia satis comprobat, quo casu quaestor requisitus, sub poena centum florenorum, decretum, sententiam, vel mandatum consistorii quam celerrime executioni mandare *m)* obstringitur.

- a)* in Sel. Obf. For. Part. VI. Obf. 340. Cui vero multi contradicunt, quos vide in BARTHII Dissens. in Praxi CCI.
- b)* L. 2. C. de iurisd. omn. iudic.
- c)* cap. 5. X. de For. compet.
- d)* conf. RESCRIPTVM dd. 27. Iun. 1748. apud KÜSTNER. ad DEYLING. P. II. c. III. §. 34. lit. d.
- e)* cap. I. de Priuileg. in 6to. Contra id iure canonico non expeditum esse, putat FLOERK. ad SCHILTER. Inst. I. Can. L. I. Tit. XIX. §. 6. ibidemque simul annotat, id forum non solum ratione immobilium, sed et rerum mobilium contra clericos esse fundatum, quamuis multi DD. dissentiant. add. ORD. ECCL. SAX. Tit. von Immunit. und Freyh. §. was aber. ORD. POL. de ao. 1612. Tit. von Consist. Sachen §. und weil.
- f)* HORN. ad Schilter. L. I. T. XIX. §. 6.
- g)* P. II. c. III. §. 34. lit. d. Ceterum et possessorium de parochiis ad secularem iudicem spectare, defendit BOEHMER in Iur. Paroch. Sect. III. cap. I §. 57.
- h)* RESCRIPT. REG. dd. 18. Aug. 1713. C. A. T. I. p. 896. GENERALE dd. 28. Febr. 1714. C. A. T. I. p. 841. Item RESCRIPT. REG. dd. 7. Ianuar. 1721. et dd. 7. Iul. 1717. quae exhibent KÜSTNER ad DEYLING. loc. cit. lit. e.
- i)* HORN. ad SCHILTER. l. c. §. 5.
- k)* vid. BEYER ad CARPZ. Iurispr. Eccl. Lib. III. Def. 117.
- l)* DECIS. REG. XXXV. Iung. PRAESIDIS Disp. de Priuilegiis clericorum in sponte resignantem vel remotum non cadentibus.
- m)* conf. ORD. PROV. de ao. 1550. Tit. Consist. §. weil aber alle Ordnung. RESCRIPT. dd. 22. Mart. 1626. apud CARPZ. Iurispr. Eccl. Lib. III. Def. 13. n. 22.

§. V.

In constituendis ministris ecclesiae praefectos nec officio suo deesse, varii hic occurrentes actus copiose declarant. Quoties enim in his regionibus sub praefectura quadam munus ecclesiasticum

B

cum



cum vacans existit, in quo conferendo principi competit ius patronatus, Praefecto quidem non tribuitur ius denominandi, sed tamen Senatus ecclesiasticus, qui loco Electoris nostri clementissimi habilem elegit personam, designatum mandato Electorali ad Superintendentem et praefectum mittit, ^{a)} ut, examine feliciter sustento ^{b)} ille denominatum ad concionem Docimasticam admitrat, qua peracta, si parochiani non contra dicunt, hic nomine Serenissimi tabulas vocationis in forma consueta candidato exhibeat. Quod vero non semper vno eodemque modo fieri solet, interdum enim Senatus ecclesiasticus Superintendenti atque quaestori immediate tale quid mandat, interdum vero rescriptum ad consistorium Ecclesiasticum inferius emititur, quod tunc demum actus antea nominatus his iniunget. Formulas, quibus iudicia ecclesiastica videntur, exponit B. KRAVSIVS. ^{c)} Quod attinet praesentationem clerici ad ordinationem et confirmationem, sicut hodie patroni eam non necessariam et fere superuacaneam habent Consistoria, cum ORD. ECCLES. sub Rubr. Vom Examine aller Kirchen-Diener §. also ist auch non eius, ^{d)} sed tantum Superintendentis relationem ad Consistorium, seu praesentationem his: Da sich die Kirchfarth vernehmen lassen, daß sie mit solcher Person zufrieden, soll alsdem durch ermeldten Superintendenten wiederum zu dem Consistorio berichtet werden, requirat, ^{e)} ita iuris est certissimi, in parochiis Electoralibus semper Superintendentes tantum, non quaestores praesentare, cum, docente ZIEGLEROF) Princeps sibi ipsi praesentare nequeat, et ius patronatus, quod habet Princeps, supereminens sit atque regium.

^{a)} LEHMANNI Tr. de Officio Superintendent. cap. III. §. 8. HORN. ad Schilt. L. I. Tit. XIV. §. 10.

^{b)} Quod hodie praecedat concioni docimasticae et vocationi vi RESCRIPTI REGII dd. 29. August. 1732. quod extat apud KÜSTNERVM ad DEYLING P. II. c. I. §. 32. lit. o. Et ita desiderii SCHILTERI in Instit. Iur. Can. L. I. Tit. XIV.

Tit. XIV. §. 38. ibidemque BOEHM. BRUNNEMANNI in I. Eccl. L. I. Tit. V §. 23. WERNHERI in Princ. Iur. Eccl. cap. II. §. 16. aliisque ex voto est satisfactum. Quod et ante publicationem RESCRIPTI REGII in Sax. laudati in ORDINAT. MAGDEB. et VINARIENSI ECCLES. saluberrime erat prouisum. vid. FLOERCK ad SCHILT. l. c. §. 38.

- c) in Disp. de Concione Docimast. §. 9.
- d) Quod vero ad praesentationem ad examen non extendas velim, in eo enim potissima patroni pars consistit, vt docet ZIEGLER in Superint. cap. XIII. §. 4. nec eo beneficio patronus in laudato RESCRIPTO REGIO est priuatus.
- e) BEYER ad CARPZ. Iurispr. Eccles. L. I. Def. 46. LEHMANN de off. Superint. cap. V. §. 2. Interdum tamen ex priuilegio nobilibus solis ius praesentandi ad ordinationem et confirmationem est datum, vt videbis exemplum apud BEYER ad CARPZ. l. c. Def. 47.
- f) in Tr. de Superint. cap. XIII. §. 5.

§. VI.

Nec Superintendens, in constituenda concione docimastica, praefecti auctoritatem contemnere poterit. Quem ad modum enim in parochiis electoralibus de die, quo concio haec instituenda est; cum eo amice conferat, nec sibi ea in re directorium arroget, ^{a)} ita in patronatis, si paroeciani, siue in matre, siue filia, siue inter incorporatos reperiuntur, eius iurisdictioni subsunt, ab illo et patrono literis, ^{b)} aut pro locorum consuetudine sine his, ^{c)} rogatur, vt statuto die concionis probatoriae habendae adsit, et iubeat, vt eius subiecti eo die frequenter adueniant. ^{d)} An vero tunc sumtus a praefectis, qui concioni huic, aut aliis explorationum generibus v. g. cantorum aut ludimoderatorum, vt domini iurisdictionales, interfuere, facti, ex aerario Ecclesiastico, an vero de propriis facultatibus soluendi sint, quaestio est maxime praeiudicialis. Posterius quondam a Consistorio Vitembergenſi Regi potentissimo suatum fuit, ^{e)} an vero sit comprobatum, non constat, si consuetudo et statuta loci non decisionem suppeditant, nullum est dubium, quin prius sit asserendum. ^{f)}



- a) RESOL. GRAY. de ao. 1661. Tit. von Consistorial-Sachen §. 3.
 b) LEHMANN de officio Superint. c. IV. §. II.
 c) BEYER ad CARPZ. Lib. I. Def. 31. n. 5.
 d) HORN. ad SCHILT. L. I. Tit. XIV. §. 34.
 e) Quod testatur BERGER Elect. Discept. For. Tit. XXXVI. pag. 1011.
 f) B. KRAVSIVS in Disp. de Conc. Docimast. §. finali.

§. VII.

Finita concione pirastica, nec praefectum, nec patronum, sed superintendentem huius dioeceseos, qua candidatus munus subeat, parochianorum iudicium de nouo pastore explorare eisdem que publice interrogare, an consentiant, an vero aliquid habeant, quod contra candidati doctrinam, vitae integritatem ac pronunciationem cum fundamento monere possint, disertis verbis in ORD. ECCLES. tit. von Examine aller Kirchen-Diener est constitutum. Sed quid, an Superintendens ab hoc actu repellere poterit praefectum, aut patronum, vt iis non praesentibus interroget parochianos? Licet ad quaestionem affirmandam expressa deficiat legis dispositio, tutius tamen atque consultius esse Ecclesiae, si illis absentibus hi interrogarentur de vita et moribus noui pastoris, cum sic libera sint magis vota atque iudicia eorundem, nec non saepius contingere possit, vt praesentia Patroni, si praesertim potentior fuerit, aut Praefecti grauis, si seuro vultu subiectos terreret, plerisque libere decernendi potestatem eripiat, censet ZIEGLER. ^{a)} Nos et hic lege deficiente, ad mores cuiusuis loci respiciendum esse iudicamus. ^{b)} Si a parochianis in candidato nihil desideratur, a praefecto ei, vel in ecclesia, vel extra eam, vocatio ad munus superintendentis, ^{c)} aut pastoris, aut aliud officium inferius ecclesiasticum forma consueta ^{d)} exhibetur.

^{a)} in Tr. de Superint. cap. XII. §. 4.

^{b)} B. KRAVSIVS laud. Disp. §. 42. DEYLING Instit. Prud. Past. P. II. c. I. §. 29

^{c)} conf.

c) conf. B. KRAVSIVS I. §. 39.

d) Quorum vero rerum in vocatione mentio praesertim fiat, exponit RESCRIPT, de ao. 1726. apud KÜSTNER. ad DEYLING. P. II. c. I. §. 22. lit. y.

§. VIII.

Vltimum tandem complementum constitutionis pastoris est Inuestitura, qua pastor ordinatus rite vocatus, ordinatus et confirmatus ecclesiae suae publice sinitur, et solenniter in actua-lem eius possessionem inducitur. Quemadmodum ea in ludimoderatoribus aliisque clericis inferiorum ordinum penitus cessat,^{a)} ita in pastoribus a tempore confirmationis intra annum, aut est suscipienda, aut si non facta, penitus, vi RESCRIPTI dd. 29. Iuny 1746.^{b)} quia finis speratus tunc, vix obtinetur, postea omit-tenda. Concurrere in hoc actu Superintendentem et Praefectum, postea quam inter eos de stato die conuenit, sanxit ORD. ECCL. Sax. gemeiner Form und Weise verb. Als oft ein zum Kirchen-Diener aufgenommen und confirmiret soll der Superintendentens etc. außs förderlichste, sammit dem Amtmann, Collatorn, oder Erb-Her-ren deselbigen Orts ic. auf einen bestimmten Tag sich daselbst hinder-fügen, und die christliche Inuestitur verrichten. Anne is actus expe-diendus per immemoriam praescriptionem ad patronum, aut alium iudicem secularem solum peruenire possit, vt is negotia ad liturgiam spectantia aliis clericis committere possit, late disquirat BOEHMER.^{c)} Hoc certum iis in locis, vbi inuestitura tempora-lium est recepta, qua pastor in aedes parochiales introducitur, et bona parochialia ipsi assignantur et traduntur, eam a solo prae-fecto, cum id saepe a solis curatoribus ecclesiae, denen Kirchen-Vorstehern fieri solet, quid quod potestas, ea bona occupandi, vocato soli videtur relicta,^{d)} expediri posse. Tandem quod atti-net expensas pro inuestitura, licet a praefecto penitus non exigan-



tur ob ART. GENERAL. XXX. verba: Es sollen auch die Collatores oder Amtsleute, von wegen der Pfarrer Belehrung nichts fordern, noch ihnen etwas deshalb zu geben schuldig, sondern hiermit gänzlich, als ein Simoniacum abgeschaffet seyn, contraria tamen observantia eam legem esse obliteratedam, monet KÜSTNER ad DEYLINGIVM. ^{e)}

- a)* vti existimavit CONSIST. LIPS. ao. 1752. docente KÜSTNERO ad DEYLING. P. II. c. II. §. 19. lit. I.
b) quod exhibet KÜSTNER ad DEYLING. I. c. §. 20. lit. K.
c) in Iur. Eccl. Prot. L. I. Tit. XIII. §. 7. et in Iur. Paroch. Sect. III. c. I. §. 55.
d) HORN. ad SCHILTER. Lib. I. Tit. XVI. §. 10.
e) P. II. cap. I. §. 32. lit. y.

§. IX.

Bona ecclesiis assignata licet olim ^{a)} et hodie ^{b)} a seculari iurisdictione, oneribus civilibus, operis atque tributis ordinariis exempta dicantur, et clerus Romanus laicos ab inspectione, cura et administratione harum rerum depellere omni data occasione studuit, ^{c)} Principibus tamen Protestantibus, vt bona haec debito modo augeantur, prudenter dispensentur, et sollicite conserventur, praefectis, aliisque iudicibus secularibus vna cum Superintendentibus, inspectionem committere, placuisse, copiose evincunt SANCTIONES ECCLESIASTICAE. ^{d)} Quem in finem eis ex legum praescripto incumbit, ^{e)} vt Oeconomos, seu Ecclesiasticorum bonorum administratores pios, cordatos et satis idoneos, aut vti IUSTINIANVS ^{f)} vult, cum iudicio et diligenti discussione creent atque constituent, contra praedones ab horum administratione arceant, ne dispensatores, vti ait BOEHMERVS, ^{g)} degenerent in perfidos dissipatores, et ecclesiae tutores in bonorum decoctores, quo ipso non nomine tantum, sed re ipsa vitrici ecclesiarum fierent.

fierent. Porro in exigendis debitis ecclesiasticis, et legatis ad pias causas iis omne praestent auxilium praefecti vi MANDAT. Senatus Eccl. Sax dd. 30. Septembr. 1729. ^{b)} Nec non sicut eorum consensus, si bona ecclesiastica alienentur, aut pecunia ecclesiastica est elocanda ^{d)} aut arbores caeduae ex sylva parochiali vendantur, ^{k)} summae est necessitatis, ita et pastoribus, vt ligna ex communi sylva in subsidium accipiant, prospicere debent. ^{l)}

a) L. 5. et 8. C. de SS. Ecclef. Nouel. CXXXI. cap. V. add. ZIEGLER de Dote Ecclef. cap. XII. §. 22. seqq.

b) ORDINAT. ECCL. SAX. sub rub. Von beyden Consistoriis zu Leipzig und Wittenberg, Art. VII. Was Sachen in das Consist. gehörig. Et sub Titulo. Von Synodo bey unserm Ober-Consistorio. add. B. CRELLII Disp. de Rusticorum Dotalium immunitate.

c) can. 22. Cauf. XVI. qu. 7. can. 5. Dist. 89. BOEHMER Iur. Paroch. Sect. VI. c. I. §. 12. seqq.

d) conf. BOEHMER l. c. §. 20.

e) ORD. ECCL. SAX. Art. General. XXXV. RESOL. GRAVAM. de ao. 1661. Tit. von Consist. Sachen, §. 15.

f) in L. 42. §. 5. C. de Episcopis et Cler.

g) in Iur. Paroch. S. VI. c. I. §. 18

h) SCHAVMBURG. Einl. zum Sächs. R. P. II. Exerc. III. §. 67. *

i) ART. GENERAL. de ao. 1557. Art. von den Kirchen- Vätern 10. verb. Es soll auch. Cod. Aug. T. I. p. 457.

k) ART. GENERAL. XXXV.

l) ART. GEN. XXXI.

§. X.

Simili quoque modo cum maximum ecclesia, piunque corpus mysticum per rationum redditionem capere possit detrimentum, facili negotio causam assequi possumus, cur praefectus iis, quae sub suo territorio, aut in parochiis electoralibus subducuntur, iure ^{a)} nostro interfit. Diem vero, quo rationes ecclesiasticae



cae deponantur, praescribere Superintendententi non licet, cum ei soli non competat Directorium, sed is amice, cum caeteris, qui vna in his concurrunt, de die conferat, hinc eum patrono tres dies denominare, e quibus hic vnum eligeret, idque cum incorporatis dominis iurisdictionalibus communicaret, putat CELEB. KÜSTNER. ^{b)} Locum, quo rationes conficiantur, regulariter esse matrem, non filiam ecclesiae, edocet GENERALE d. 2. September 1737. verb. in filia keine besondere Kirch-Rechnungen zu halten, sondern daß dießfalls nöthige zugleich in matre zu expediren, es wäre denn; daß ganz besondere wichtige Umstände jenes erforderten. Parochianos in hac causa se subtrahere non posse, vt praefectum, cum in parochiis electoralibus principis vice, vt patronus, adest, aduehant, obseruantia satis corroborauit. Sed anne, si vt dominus iurisdictionalis interest, et parochiani, alterius iurisdictioni subiecti eum aduehere detrectant, obseruantiam probare teneatur, alia est questio, quam confirmare videtur RESCRIPTVM CONSIST. LIPS. 1742. ^{c)} Officium quaestorum in examine rationum in eo consistit, vt cum ceteris, quorum interest, an rationes sint iustae, omnia ad calculos reuocent, nominum actiuorum documenta perlustrent, num haec etiam sufficiant ad securitatem crediti? anne potius ecclesiae hypotheca iudiciali sit prospiciendum? Post de eo, quod solutum est, videant, an ab oeconomis apocha sit edita. Correctis erroribus, et iustificatis defectibus, postquam residua sunt illata, et damna voluntaria ab aerarii ecclesiastici praepositis refarta, istae ab iis quoque subscriptione nominis approbantur. ^{d)} Quo tempore Visitatio localis plerumque et instituitur, in qua parochi a Superintendente simul interrogentur, an praefecti ^{e)} sedulo concioni et sacris intersint, aliisque bono praeceant exemplo.

^{e)} ART.

- a) ART. GENERAL. de ao. 1557. sub Rubr. Von den Kirchen-Vätern, Vorstehern verb. und es soll von den Amtleuten 2c. ART. GENERAL. XXXV. RESOL. GRAVAM. de ao. 1661. Tit. von Consist. Sach. §. 3.
- b) ad DEYLING. Instit. Prud. Past. P. III. cap. IX. §. 28. lit. p.
- c) quod exhibet KÜSTNER ad DEYL. l. c. p. 712.
- d) conf. LEHMANN Tr. de Officio Superint. cap. XIIX. §. 3.
- e) ORD. ECCL. SAX. Articulo darauf die Pfarrer, Diaconi 2c. zu befragen sub n. 3. Cod. Aug. T. I. p. 619. add. WILHELMII Instructio ad visitationem localem de ao. 1596. Art. Weiter soll er den Pfarrer n. 4. C. A. T. I. p. 770.

§. XI.

Quae rationum redditio quondam singulis annis ^{a)} erat peragenda, quae vero dispositio in RESOLVT. GRAVAM. Tit. von Consist. Sachen §. 3. quoad Superintendentem, propter inopiam quorundam ecclesiarum, quae sumtibus ferendis haud sufficiebant, valde fuit limitata, iure vero hodierno in RESCRIPT. d. 2. Septembr. 1737. lapsu trium annorum demum subducantur verb. und die Kirch-Rechnungen nur alle 3. Jahre, wo die Nothwendigkeit nicht ein anders erfordert, abgenommen werden. ^{b)} Emolumentum pro inspectione et rationum examine est in Saxonia quoad singulos annos vnus thalerus, qui Praefecto soluitur, vt et Superintendenti, ac Senatui, cum hac praeterea restrictione ^{c)} ein mehreres aber wegen Reise-Gebühren, Fuhrlohn, oder sonsten nicht genommen, noch andern Personen, so bey Abhdrung der Rechnung nichts zu verrichten, dazu gezogen werden sollen. Nobilibus vero aut aliis collatoribus, eorumque iustitiariis pro hac opera ex aerario ecclesiastico nil debere, sancitum quidem erat in GENERALI d. d. 30. Sept. 1729. ^{d)} sed postea vnus thalerus et nobilium collatorum iustitiariis in GENERAL. d. 2. Sept. 1737. est quoque concessus, qui vero eorum actuariis nec scribis, qui simul ab iis adhibiti sunt, non cedit. ^{e)} Sic sumtus conuiuii post hunc actum institui quondam duos thaleros

C

leros



leros excedere non debebant *f)* sed cum pretia rerum admodum sunt aucta, id in RESCRIPT. d. 2. Sept. 1737. ita est commutatum: Daß furohin zur Beföstigung derer ohnungänglich nöthigen Personen mit Speise und Tranck, bey einer Kirchen, so über 1000. Rthlr. in Vermögen hat, höchstens 10. Rthlr. bey einer so über 500. Rthlr. zum höchsten 5. Rthlr. und bey einer, so nicht 500. Rthlr. vier Thaler, ein mehreres aber nicht verwendet, in Ausgabe verschrieben werde.

- a)* conf. L. 42. §. 5. C. de Episcop. et Cler. ART. GEN. XXXIII. et XXXV. DECRET. SYNODAL. de ao. 1624. §. damit nun.
- b)* Collatoribus et Dominis iurisdictionalibus in MAND. dd. 30. Sept. 1729. vti refertur in SCHAVMBVURGI Einl. zum Sächf. R. P. II. Ex. III. §. 37. ** serio et fuit interdictum, ne soli rationum redditionem poseant.
- c)* RESOL. GRAV. de an. 1661. Tit. von Consist. Sach. §. 3. Ceterum reliquas sportulas in actibus ecclesiasticis optime determinat nuper in Sax. promulgatum EDICTVM, cuius Rubr. Tax. Ordnung, wornach die Ephoral. Gebühren derer Superintendenten und geistlichen Inspectoren in den sämtlichen Churfürstlich. Sächsl. Landen hinführo, vom 1ten May 1768. an, gefordert, und gezahlet werden sollen.
- d)* Cuius verba vide apud KÜSTN. ad DEYLING. P. II. c. I. §. 22. lit. y. Quod antea quoque existimatum fuit, vt docet LEHMANN de off. Superint. c. XIX. §. 5.
- e)* SCHAVMBVURG in der Einl. zum Sächf. R. I. c.
- f)* RESOL. GRAV. I. c.

§. XII.

Cum itaque in actibus ecclesiasticis expediendis Superintendentes cum praefectis saepe concurrant, quaesitum fuit, ad quos Directorium causae pertineat; et dicendum, neque soli Superintendenti, neque soli praefecto competere, sed illud vtrisque in Sax. commune esse. *a)* Omnium hic aequa debet esse conditio, omnium vna cura, vt bona ecclesiae bene administrantur, et vt corrigatur, quod corrigendum fuerit, monet ZIEGLER. *b)* Interim

rim vt Superintendens in commissionibus initium capiat orationis, et admonitionem peragat, voluit ex obseruantia statuere **CONSISTORIUM LIPSIENSE.** ^{c)} In asseruandis vero Documentis originalibus, vt mandatis, rescryptis etc. si aliud obseruantia non est introductum, distinguendum, ^{d)} an documentum ad causam mere ecclesiasticam spectet, quae formam iudicii non exigit, et vbi protocolla tantum habentur v. g. mandatum ad concionem probatoriam etc. an ad eam, quae mixti generis est, et quae praesertim formam processus iudicarij poscit. Quemadmodum illa in Archiuo Ephoriae asseruanda sunt, ita haec a praefecto custodiuntur, ita tamen, vt vtroque casu alteri parti exempla non sint deneganda. ^{e)} Idem iudicium ferendum esse in quaestione de loco, vbi haec negotia expedienda, pro diuersitate causae, mox in aedibus Superintendenti addictis, mox in domo praefecti, censet **BERGER.** ^{f)} Sic quoque lites circa proëdriam inter Superintendentem et Praefectum, aut patronum decisae sunt in **RESCRIPTO** d. d. 21. Nov. 1666. *ad Inspectorem Waldbeimensem* his verbis: daß die Beamten nicht befugt, bey Inuestituren und dergleichen andern actibus, da nomine serenissimi ih̄r respectu episcopalis iurisdictionis, sie aber nur respectu iuris patronatus da seyn, vor euch die Oberstelle zu nehmen. ^{g)} Quod et extensum est ad vicarios Superintendentum in **RESCRIPTO** d. d. 30. August 1706. ^{h)} Interim si nobilis collator simul consiliarius, vel comes regius, aut electoralis est, primo loco hunc nomen suum subscribere, tum demum Superintendentem, comprobat **LEHMANN.** ⁱ⁾ Sic quoque ipse Princeps in Rescriptis et Mandatis praefecto, qui nomen consiliarij Principis gerit, singularem prae Superintendente tribuit praerogatiuam. Ceterum praefectum Vasallo, cum quo in exercendo iure patronatus concurrat, anteponi, merito defendit **CELEBER. KÜSTNER** ad **DEYLING.** ^{k)} In reliquis praefecti iura multo




multo sunt minora ac patroni. Sic in precibus publicis patroni eiusque familiae specialis fit mentio, ^{l)} contra praefecti specificae, licet id exigant, nominari in precibus his non debent, sed generali denominatione sint contenti RESCRIPT. de ao. 1667. ^{m)} Idem discrimen et in luctu publico, aliisque iuribus iuri patronatus annexis reperitur, quae vero et alia plura ulterius perfequendi, cum proposito nostro satisfecisse existimamus, in praesenti non est animus.

- a) RESOL. GRAV. de ao. 1661. Tit. von Consist. Sach. §. 3.
- b) in Superint. cap. XXVI. §. 14.
- c) vid. KÜSTNER ad DEYLING. P. III. c. IX. §. 28. lit. p.
- d) v. RESCRIPT. dd. 21. Nouembr. 1666. HORN. ad SCHILTER. Lib. II. Tit. VI. §. 13.
- e) LEHMANN de Off. Superint. cap. XXX. §. 7.
- f) in Elect. Disc. For. ad Tit. I. Obs. VII. n. 3.
- g) in Cod. Aug. Tom. I. p. 864.
- b) quod existat apud. HORNIVM ad SCHILT. Lib. I. Tit. XIV. §. 31.
- i) de Off. Superint. cap. XIIX. §. 3.
- k) Part. II. cap. I. §. 18. lit. m.
- l) Sine omni vero titulorum pompa v. MANDAT. dd. 16. May 1710. in Cod. Aug. T. I. p. 885.
- m) quod vide apud BEYERVM ad CARPZ. Iurispr. Eccles. Lib. II. Def. 259.









Inches

Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

. V.

IVRIDICA

IGATIONIBVS
SAXONICORVM
IASTICIS

M

SIDE

GOTTLIEB
LIO D.

REGVL. IVR. PROF. PVBL.
ID. ASSESSORE

O MAIORI

cId Id cc LXVIII.

EXAMINI EXPONET

NIAMIN PIETSCHIVS

SAXO.

RGAE

ERDESIANA.